



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

Sermo VI. Domus Sapientiæ. Sensu Physico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

MARIA sit Domus Sapientiæ latissimè explicat Richardus à S. Laurentio lib. x. de laudib. B. V. à pag. 609. Verum, totam hanc expositionem, sive illa dicenda sit Allegorica, sive Mystica, sive Accommodaticia pertractamus accuratè in Encomiastisis Marianis, & opusculo Architectonico cui titulus,

MARIA DOMUS MYSTICA.



## SERMO VI.

### DOMVS SAPIENTIAE

*Sensu Physico*

MUNDUS.



ÆBRÆI in Sanedrim apud Galatin. lib. 3. de Arcan. fidei. cap. 3. ita Salomonis sententiam exponunt, *Sapientia edificavit sibi Domum suam, id est, Deus per Sapientiam creavit Mundum. Dola- vit columnas eius septem: id est, ordinavit septem dies primordiales creationis Mundi, quibus omnia creavit, formavit & suis locis, ordinibusq̄, quasi per columnas distinxit. Immolavit victimam suam, vel coxit victimam suam, vel decoctionem suam: per hoc intelliguntur maria, flumina & omnia Mundi necessaria. Misit puellas suas, ut revocarent. Hi sunt Adam & Eva. Eandem interpretationem habet R. Salomon proverbior. 1.*

Ex Christianis Doctoribus, Potho Presbyter Prui- mensis eundem sequutus interpretandi modum, sive physicè, sive symbolice, ita commentationem suam de magna Domo Sapientiæ orditur. *Dominus Sapientiæ funda- vit terram, stabilivi celos prudentia. In initio namque Dominus terram fundavit, & opera manuum eius sunt cali. Calum & Terra*  
duo

duo sunt gaudia Mundi corpora. Ergo calum & terra, & universa, quæ cali ambitu continentur Domum unam constituunt. Magna est hæc Domus DEI, & ingens locus possessionis eius: Terra videlicet, & plenitudo eius: orbis terrarum, & universa quæ habitant  
 » in eo Sapientia DEI, quæ ædificavit hanc Domum,  
 » excidit columnas septem. Quæ nam sunt illæ? Sex  
 » dies, quibus in primordio mundi DEUS operabatur,  
 » & septima dies, in qua requievit DEUS ab operibus  
 » suis sacra-scriptura testatur, septem sunt Columnæ,  
 » quibus Mundi fabrica, quæ est Domus Sapientiæ sustentatur.

DEINDE septem Columnis dierum, adjungit septem alias, nempe *Septem Spiritus*, sive septem Dona Spiritus sancti quibus tota mundalis machina sustinetur, conservatur, & quoad septem dierum opera ac quietem animatur. Hos autem Spiritus vel Dona ita distribuit. Primæ diei, in quâ divisit Deus lucem à tenebris: Angelos lucis ab Angelis tenebrarum: adsignatur *Spiritus timoris*, terribile DEI Judicium perpèdere faciens. Secundæ diei, in quâ fecit DEUS firmamentum, *Spiritus pietatis*. Quid tam pium, quàm idcirco præparasse cælos, & fecisse Mundum, ut in eo fieret homo Sapientia æterna Patris, & esset cum filiis hominum? Tertiæ diei, qua dixit DEUS, appareat arida, id est, terra, quàm ornavit herbis, plantis, fructibus *Spiritus scientiæ*: oppositus spiritui tentatori dicenti primis parentibus; *Eritis sicut Dei scientes bonum & malum*. Quartæ diei, qua dixit DEUS, fiant luminaria in firmamento cæli, nempe, Sol & Luna, *Spiritus fortitudinis*. Quid fortius Solis Lunæque operationibus & influentiis? Quintæ diei, qua dixit DEUS, producantur aquæ, reptile, ac volatile, & benedixit ei dicens: *Cresce, & multiplicamini, Spiritus consilii*, qui in eo cernitur quod potentia sua effecerit, ut creatura ratione carens  
 admi-

admirandum in modum consuluerit posteritati suæ. Sextæ diei, quâ creatus est homo, *Spiritus intellectus*: Spiritu enim intelligentiæ replevit eum Dominus Septimæ diei, in qua requievit Creator; & cui benedixit, ac quam sanctificavit, *Spiritus Sapiencia*, qui verè ad magnam Sapienciam adducit illum, quem docilem facit hujus diei: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.*

## ARTICULUS II.

## DOMVS SAPIENTIÆ

*Religiosè.**Monasterium, Claustrum, Cella.*

DOMUS Sapienciæ inquit Cardinalis Ugo Charen-  
sis, est *Claustrum*, tu adde, *Monasterium, Collegium, Cella*. Ejus fundamentum est Paupertas: parietes, Obedientia, & continentia: altitudo Humilitas: rectum Amor fraternitatis. Septem Columnæ, sunt septem Observantiæ regulares. I. Cibi ariditas. II. Vestis austeritas. III. Jejuniorum continuatio. IV. Vigiliarum protractio. V. Manuum labor. VI. Disciplinæ rigor. VII. Orationum instantia.

